4

AVRORA

Natalitium

VIRGINI DEIPARAE

Encomium


In Collegio Seminarij Perusini

dictum

Ab Alumnis Clericis & Contubernalibus,

Anno Domini MDCXLI.






Ad Eminentissimum Principem

BENEDICTVM
CARD. VBALDVM
PERVSIAE EPISCOPVM.

PRinceps Heroũ germen, spes alta Quirini,
Et Vaticanæ maxima fama Togæ;
Annua Virgineæ redeunt Natalia lucis,
Solemnique redit cultus honore dies.
Ingentes animo, tenues parat ordine pompas
Pubes officijs obsequiosa pijs.
Si tamen accedas, impar licet Aula Patrono,
Aduentu fiet clarior illa Tuo.
Sed venies facilis, præsens dabis ora tueri:
Sic Genius, sic Te Virginis vrget Amor.

Federicus de Alexandris Perusinus.



ORATIO

Habita

A Petro Mario Baldinaccio Eugubino.



Atam hodierna luce nata cũ Virgine diem beatissimam humanæ felicitatis, debito quàmuis impari cultu plausus anniuersarij celebraturus adsum, Princeps Eminentissime. Neque potest siuè nota virium imbecillitas, siuè suspecta rei sublimitas absterrere, quò minus animosè pergam, vt præclari saltem aggressione facinoris, si non laudem ingenij, veniam adipiscar officij. Nec fortasse indecens fuerit, Oratorem balbutire, Puellæ blandientem; aut humile dicentis obsequium Infans Heroina dedignabitur, cuius Regnum Humilitas est. suosquè

adeò pertæsa vltrò nitores eloquentia, non alio quàm argumenti lumine fulgere desiderat. vt quæ materiem dedit, addat ornatum, Cęli Regina, Syderum Imperatrix, forma pulcherrima, maiestate Diuina, nuncia & parens expectatæ diu salutis AVRORA. quæquè olim, discussa mœroris antiqui caligine, nouam afflictis rebus intulit lucem; sequente prænitens sole, nihil à se splendoris habentem, bono in lumine vestræ gratiæ constituat Orationem meam.

Nefas quidem, locum esse tristitiæ, vbi Natalis est vitæ. Obliteranda penitùs miseriarum memoria omnis; & merum sincerumquè mel libandum præsenti è gaudio. tamen vt in calamitatem lapsis calamitas nulla est grauior, quàm contemplatio dignitatis amissæ; sic vetera intueri damna, discrimina exanimata mente repetere, non leuia

uia fortaſſe ſunt momenta ad lætitiæ ſenſum iucundioris. Nimirum eluctatis immanem pelagi tempeſtatem Nautis, & cupita diu tellure per mille tandem pericula potitis, dulce eſt Cœli mariſquè minas loqui; & quiddam habent nata ex triſtibus læta ad augendam mitioris fortunæ gratiam ſuauitatis. vt quæ pœna fuit pati, iam voluptas ſit meminiſſe. Quin ipſa lucem commendat obſcuritas, tenebræ ſolem irradiant; qui ſi nunquam occidens diem faceret orbi perpetuum, haud dubiè minùs videri poſſit illuſtris.

O quanta, & quàm dira feliciſſimæ huius exortum lucis anteceſſit noctis caligo luctuoſiſſimæ! Vix primus ille radius olim præluxerat, cum ingruente nube ſubitò conditus, ſalutem ac ſpem vnà abſtulit generi infauſto. Nulla exinde micare Cœlo lumina, niſi ad

terrorem fulgura, fulmina ad supplicium. Merſæ aquis terræ, nec ſcelera extincta: & quæ labem potuit purgare flamma, vnda eluere? Vbiquè horror & fuga; planctus & lacrymæ, eiulatus lamenta, ferales tenebræ, nox atra & funerea. Vt nec planè barbara eſſet habenda, quamuis barbaræ & feræ gentis conſuetudo, natales hominum triſti luctu obeuntis; quæ per ludibria exercitam, fœtam ærumnis, veramquè imaginem mortis intelligeret vitam.

Verùm ecce, (ò gaudia!) poſt longiſſimam ac miſerrimam tot malorum ac ſæculorum noctem Virgo tandem exoritur candidæ ſerenitatis auſpicium, AVRORA beatitatis; quæ tota pulchra oculos rapit animoſquè formoſitate cœleſti, amatore digna Deo. Et quanta illa, Deus bone, quamuis tenelli pulchritudo corporis, quantus

tus oris honor, quale oculorum lumen, quæ frontis maiestas? Parùm est, dixisse, nullibi illustriùs candere ebur, florere rosas, nitere argentum; parùm, nullibi puriùs ardere aurum, micare stellas, lucere Solem. nam quicquid dicitur minus est merito; aut quæ comparatio sublimitati tantæ non impar, aut vilis? hic ipsum ebur argentumque sordet, rosæ pallent & aurum, stellæ conduntur, cedit Sol. adeò nec prodire in conspectum, nedum sustinent in certamen. Vt ad effingendum exactissimę formæ simulacrum necesse non habuisset Zeuxis aliquis puellas plures inspectare, & perfectam vndique absolutamque venustatis idæam quærere è multis; si hanc vnam è longinquo potuisset aspicere. si modò vllis assequi penicillis, imitari coloribus queat industria mortalis imaginem Diuinitatis. quam

 suis

suis ita lineamentis expressam reddere ad viuum visa Infans Diuina, vt, si dici fas est, sola possit haberi pro Numine; nec vnum certè cultorem allicere Dionysium Areopagitam, qui dignus aliquando habitus, inuidenda nimiùm sorte, vt aspectu illo alloquioquè beatissimo frueretur, nisi religio obstitisset, minimè dubitaturus fuit honores exhibere diuinos, nec vt Deiparam adorare sed vt Deam. Nempe AVRORA est Numinis nasciturі, & Diuinitatis fulgor primus iam prodeuntis. vt nescias filiamnè splendoris æterni, an parentem iustiùs appelles; cum vtrumque iure suo nomen adepta Puellæ felicitas; à quo genita est ante sæcula, & antequàm terra fieret, in sæculo & terris ipsa genitura sit Deum. Aut quid verò AVRORAM dixeris, nisi Solis gemellam, ipsumquè adeò nascentem Solem? à quo tantùm

tempore ac luce diſcernas, cæterà conueniunt, & vnum ſunt. præit altera, alter ſequitur. Ecce vbi lucidum manè crepuſculum incipit, & roſea manu aurata panduntur Cœli atria, vaneſcente vulgo Syderum, vna decus omnium extinguit, vno minor ſole, cuius pars eſt. Nam Deus operi efformando architecta Sapientia ſolicitè intentus, non veteris Adæ coſtam ſumpſit, quam nouam ædificaret in mulierem; ſed quicquid vſpiam pulchri perfectiquè fuit in hanc vnam accuratè collegit, nec ante viſa, nec poſt videnda congerie cumulauit.

----- *formamquè dedit, qua fœmina naſci*
Nulla poteſt, operiſquè ſui concepit amorem.

vt merito ipſos olim Angelos ſpectaculo attonitos admiratio compulerit exclamare: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi AVRORA*

consurgens ? quiquè nocturno illo certamine cum Iacob Agonista Sydereus ad prima vsque nitescentis Coeli signa, nec dubia victoriæ spe acerrimè colluctatus, vinci non poterat, ascendente tandem AVRORA, nempè Virgine in lucem prodeunte, dimitti se postulat victus.

Sed bene est. noua Coelo serenitas micat, suusquè iam redit rebus color. Aurea nimirum diuina cum Infante lucet non tam hora, quàm ætas; & virtutum flores ipsa euocante surgunt ad vitam. quin ipsum natale solum Nazareth flos est. Et sanè debuit inter amoena florum cunabula nasci Coelestis AVRORA, quæ vbi prodit, Paradisum aperit. Iam quæ vitalis aura leniter spirat ab Oriente nitido felicissimæ beatitatis! Illa Orbem senticetum malorum, hortum facit deliciarum. Illa funestas aues,

atque

atque horrida fugat monſtra, quæ truci ſtridore hactenus & dente ſœuo terras latè trepidas terruere. Iam læta vbique diſcurrit blando cum ioco ſecuritas, & certam elementa fidem didicere. Iam beneficiorum nexu multiplici, & continenti gratiarum ſerie demiſsa Cœlo, ſummis ima nectit, humana diuinis, aurea Diuini amoris catena. Iam ſimultas paci conceſſit, quæ mundum diffuſa tranquillitate refouet amœniſſimè. Sed exſurgente AVRORA auium quoquè ora ſoluuntur, & geniale carmen genethliacum Infanti Dominæ & Imperatrici ſuæ dulciter emodulantur Cœlitum Chori, quin ipſos Cœlorum Orbes, Puella naſcente, in armonicum impulſos modum; tum verè non vnus aliquis Pithagoras, ſed Natura omnis audijt concentus edere ſuaviſſimos. O noſtrarum verò mentium pluſquàm Catadu-

pam

pam ſurditatem, ſi tanto lætitiæ ſtrepitu non excitamur! O animos talpa, & liberide cæciores, quos prouectæ diei fulgor non tangit!

----- Iam clarum mane feneſtras Intrat.

Quid adhuc miſeri ſtertimus, & iacemus in nocte? Præuenire ſolem Sapiens monet, & ad lucis ortum adorare. Fungamur ſaltem, ceterà immunes, religioſæ venerationis obſequio, & libatione puri affectus.

O igitur pulcherrima & beatiſſima ſalutis & felicitatis AVRORA, ſalutamus Te è noſtræ mortalitatis mari prodeuntem, nulla primitiuæ labis amaritie contracta, parentem ſuauiſſimam omnis dulcedinis. Veneramur Te Cœli arbitram, nocte expulſa, nunciam primam candidiſſimæ lucis, filiam veri Solis & Matrem. Ecce ſi quæ libamus Tibi Orationis mella, rores ſunt Tuæ gratiæ.

gratiæ. Quicquid damus tuum eſt. Trophæa ponere, arcus excitare, non opis eſt noſtræ. Ille Tibi vixdum Conceptæ Columnas attollere magnorum æmulus Regum, & virtute clarior Princeps, quàm purpura aſsueſcat, qui nullo regnandi limite, & proxima olim Cœlo poteſtate

Imperium Oceano, famam vix terminet aſtris.

Nos in pyramidē erigimus cor. vtquè Tibi Cœleſti AVRORÆ hoc quoquè videri titulo filij poſſimus, iam quacunquè liceat cithara & cantu conabimur noui Memnones in Tua encomia eſse vocales.

DIXI.

CARMEN

CARMEN

dixit

Augustinus Mennicus Perusinus.

ERgò præteritos sinè luce peregimus annos
Ignoti? & tacitis inhonora silentia somnis
Traxit adhuc mersum indecori caligine pectus?
At nos desidiæ tenebris & nocte sepultos
Ingenij exoriens AVRORA nitentior astro
Contigit, & mœstæ detersit nubila frontis.
Nos quoquè fallentes vulgaribus otia curis
Infacundi æui nimis infelicia, tandem
Torpore excusso, castigatoquè veterno
Increpuit, facilēquè mouēs in carmina mentē,
Et meliore die lux perculit aurea Cœli.
Surgamus: tenui circùm cunabula diæ
Virginis ire ausi plectro, numerisquè solutis
Principe dicamus laudes & Apolline Vbaldo.
O quā te memorē? vel quæ præconia tantis
Digna feram meritis? video discedere Cęlum,
Æthereasque domos, & clarā Numinis aulā,
Arcanisquè adytis totum penetrale recludi.
Iam video superi delabier agmina cœtus
Aera per liquidum, celerique illapsa volatu
Augustos intrare lares; video agmina mille
Aligerū, quos vnus amor rapit, impetus ōnes
Vnus in obsequiū, cultūque & munera ferre.
Non tamē aut pompas horti legisse caducas,
Immixtasque rosis violas, caltasque ligustris,

Narcissosque leues gaudent mœstosque Hyacintos.
Non illi hos flores, non pallida lilia plenis
Effundunt calatis;nec quæ pretiosa sub imis
Ornamenta latēt vndis,quæquè abdita auaro
Terra fouet gremio;non inde monilia collo,
Non capiti hinc sertum magnæque crepundia Natæ.
Sunt aliæ gazæ, sunt altera dona puellæ
Debita Reginæ,supplex quæ legat Olympus.
Ipsa ambit teneris substerni Cynthia plantis,
Astra comas properāt nitida radiasse corona,
Cyclade sol pura,mollique amplectitur ostro.
In cunis Cœlũ est,ipsũquè in Virgine Numē.
Nec iã finitimis tantùm lux cognita terris
Nazareos circùm fines, Galilæaque circùm
Arua Palestinis tantùm præfulserat oris;
Aut tantũ Libani micuere cacumina montis,
Angàris,aut Galaad,Carmeliq; ardua rupes,
Engaddique iugum, & siluæ felicis Idume.
Insolitum sensere iubar quæcumquè repostas
Igne sub ardenti gelidiquè sub Ætheris axe
Incoluere plagas,terrarumque vltima gentes.
Peruasit longe fulgor diffusaquè longè
Gaudia; nascentis claro sub Virginis astro
Plausit ouãs Natura, nouisquè incognita formis
Mutauit rerũquè vices,legũquè tenorē.
Tum verè stupuere lacus & flumina, fluctus
Diuitijs tumuisse,omnisque è littore gemmas
Exspuit Oceanus; tum fulgidiore metallo
Aspera cesserunt pacatis sæcula bellis.
Lætitia pars nulla vacat,tenebrosa patescunt
Tartara,& ignota lustrantur lãpade,& vsque
Festa sub infernis resonant natalia campis.

Sic adeò ſolemque ſuũ, & ſua ſydera norunt.
Eſt locus vmbrarum ſedes, inamœnaquè Regna,
Lucus iners, & luce carens, valliſque receſſu
Abditus obſcuræ, tenui vix peruius auræ;
Quò Manes ceſſere pij. Stant ordine circum
Longo diſpoſitæ, perquè atria mœſta ſilenti
Denſantur numero, pulsãtquè ergaſtula votis.
Viſuræ Superos olim voluentibus annis
Et certa ſtatione Poli ſuper aſtra locandæ
Illuſtres Animæ. Non illic vindicis iræ
Tortor, non vrens flammis vltricibus ignis;
Lurida nox vdis tantùm circumuolat alis,
Et damnata procul deſpectant oſtia Ditis.
Delecti Cœlo proceres, quos crimina nulla
Supplicio dedunt, ſcelus exitiale parentum
Perdidit innocuos, & triſtibus abdidit vmbris.
Oderunt immane chaos, cæciquę latebras
Carceris, & patrij ſuſpirant lumen Olympi.
Ante alias forma, & multo venerabilis æuo,
Fœmina, prima mali genetrix, & origo ruinæ
Prima, diù ſontes qua defleuere nepotes,
Peccati argumenta ſui, monumenta doloris
Ipſa manu retinens, vetitis quæ noxia labris
Poma olim tetigiſſe amens, temeraria morſu
(Heu quanti infauſto generi ſtetit vna voluptas!)
Mortem hauſit, ſuditque atræ cõtagia culpæ,
Læthales carpens vitali ex arbore fœtus,
Æua. Sed ò quali facie, quàm triſtis imago,
Quàm ſibi diſſimilis, quãtùm mutatus ab illo
Vultus, quem ſolers finxit Sapientia primum?
Interiùs fugere genæ, cinis occupat ora
Fune-

Funereus, macies corpus suprema, fluentes
Imbre oculi, fixique solo, nec lætior vlla
Vox sonat,& pressā tenuere repagula linguā;
Singultus tantū,& lacrymæ,& suspiria tantū.
Ast vbi Virgineæ fulsere crepuscula lucis,
Et certam agnouit præmisso lumine Diuam,
Attollens subitò vultus, atquè ora resoluens,
O ait, ò tandem nitido recludis ab ortu
Purpureas AVRORA fores, pulcherrima Solis
Nuncia Diuini, caligantesquè profundæ
Prima domus tenebras,& nubila discutis Or-
Tu donas haurire diem, tu vincula soluis, (ci.
O longùm Regina Orbi expectata gementi,
Rerum certa salus, terrarum gloria Virgo.
Nasceris,& tecum primæua renascitur ætas,
Sydereique patent reuoluto cardine postes.
Dia Infans quas pādis opes? quæ gaudia red-
Nasceris,& duri præbes solatia casus, (dis?
Et veterem expellis luctū, risumquè reducis,
Heroina decus Cœli Superumquè voluptas.
Cresce agè, cresce citò, ò miseræ spes vnica
genti,
Cresce citò, vt fias maturo nubilis æuo,
Sorte tua felix, olim de millibus vna (ti.
Quæ coniux materque potes placuisse Tonā-
Dixerat: Heroes circum plausere beati,
Lætaque felices geminatunt murmura siluæ.



GRA-

GRATIARVM ACTIO.

ORnati beneficio præsentiæ Tuæ, Princeps Eminentissime, quæ se vltrò in has loci angustias heroicæ religionis & humanitatis impulsu demisit, frustrà parem meditamur Actionem Gratiarum. Nimis enim superat nostri tenuitatem eloquij Tui muneris amplitudo; quam adeò oratione nequimus, vt nec animo complectamur. Quæsiui equidem sedulò, si quas accersere huc Gratias possem ad obsequiosi munus officij. Sed illæ ad beata Nazarenæ Domus cunabula omnes certatim dicuntur auolasse; ibique ancillari interim malle, quàm alibi imperare. & via longa est, & temporis breue spacium; nec tantulo momento negocium tantum conficere valeam puer planè rudis industriæ, & vix vllius ingenij. Atqui fama loquitur, experimenta docent, Tuo etiam in pectore, Vbalde Princeps, sedem Gratias sibi legisse. Verùm ità, opinor, vt eas & dare velis & soleas, accipere non possis nisi à Cœlo, iam propè sublimior homine, Virtute quàm Dignitate. Igitur quando à Gratijs, quas certè debemus, agendis

dis

is excludimur; ſaltem pro Gratijs vota,
nò veriùs auguria pro votis & Gra-
ſis, olim concepta, toties annuente Cœlo
rmata, edimus celebritate hac tanta
liciſſimæ lucis. & iam vouemus palam,
ublicè auguramur, vt quæ nunc AV-
RORA felicitatis Auguſtæ Romana
nicat in Purpura, procedente die cla-
ior, Vaticanum exſurgat in Solem,
Conceptæ auſpicio & Natæ VIRGI-
NIS AVRORAE.

Sebaſtianus Muſcolus Peruſinus.

PERVSIÆ,
Ex Typographia Epiſcopali Angeli Bartoli.
Superiorum Permiſſu. MDCXLI.

